

## CAPUT XI.

## DE VARIIS CANONICIS.

§ 1. *De canonicis supranumerariis.*

I. Canonici supranumerarii dicuntur illi, qui in canonicorum collegium coaptantur, et canonici creantur ultra numerum certum præbendarum et canonicatum.

Istorum tres sunt species : prima eorum qui a Papa creati sunt cum expectativa præbendæ, sive quibus Papa contulit canonicatum et præbendam, primo in illa ecclesia vacaturam; secunda eorum qui sine præbenda et sine expectativa creantur ad honores, et canonici honorarii nuncupantur; tertia eorum qui ultra numerum antiquum, mediante fundatione et erectione novæ præbendæ, in canonicos recipiuntur. De hac tertia specie actum est cap. III, § 2. et cap. VII, § 11; de secunda agetur § sequente, et de prima agitur hoc loco.

II. Canonicorum creatio cum expectativa, quorum frequens est mentio in sacris canonibus, non est amplius in usu propter dispositionem Concilii Tridentini sess. 24. cap. 19 de reform. quod hujusmodi gratias expectativas vetuit et abrogavit. Nihilominus ipsa prohibitio et abrogatio solum intelligenda est de Episcopis aliisque Prælati Papa inferioribus, non autem de Summo Pontifice, quia ipse est supra jus positivum humanum, et ex plenitudine potestatis in eo dispensare potest (1).

Ut igitur Episcopi aliique Prælati Papa inferiores canonicos cum expectativa constituere valeant, dispensatio Pontificia necessaria est. Hujusmodi autem gratia solummodo concedi solet, ut notat Scarfantonus (2) propter utilitatem ecclesiæ, ex causa coadjutoriarum, ut de idonea persona provideatur beneficium, cui rector propter ingravescentem ætatem seu malam valetudinem, amplius deservire non valet.

III. Quamvis autem Episcopi aliique Prælati Papa inferiores absque speciali indulto Apostolico canonicos supranumerarios cum expectativa præbendæ constituere nequeant, creare tamen possunt

(1) Reiffenstuel lib. 3, tit. VIII, n. 18, 40-43.

(2) Lib. I, tit. XIV animadv. 6.

canonicos supranumerarios pure et simpliciter, sine expectativa seu sine promissione præbendæ, etsi cum intentione, ut recepti habeant præbendam primo vacaturam. Ratio est, quia in tali casu nulla fit promissio beneficii vel præbendæ vacaturæ; sicque talis receptio nihil continet contra jus commune. Cum enim aliud sit canonia et aliud præbenda; in hoc casu canonia non promittitur, sed de præsentis confertur pure ac simpliciter; neque etiam fit promissio præbendæ in posterum vacaturæ hoc ipso, quod canonia conferatur pure ac simpliciter, et proinde absque pacto seu promissione ipsius præbendæ. Nec obstat, quod canonico supra numerum recepto præbenda conferri debeat, quamprimum vacaverit: id enim fieri non debet ratione promissionis, quæ non intervenit, et si interveniret, nullius foret roboris; sed ratione canonicatus jam recepti, seu ex vi connexionis, quam jure sic disponente, habet canonia ad præbendam, quia videtur indignum, ut receptus in canonicum præbendæ beneficio defraudetur. Canonicus igitur supranumerarius jus non habet in præbendam vacaturam: ita ut, si alteri conferretur, illicite quidem fieret et contra dispositionem juris communis, non tamen invalide (1).

IV. Hi canonici supranumerarii vere et proprie sunt canonici, quatenus canonicatus et præbenda distinguuntur, et canonicatus sine præbenda existere valet. Si veri sint canonici, videtur saltem dicendum, eos stallum seu locum in choro habere: an autem vocem habeant in capitulo, an lucrentur distributiones et quæ alia eorum jura, ad hæc potissimum attendenda est consuetudo (2).

Tanquam veri canonici eligi possunt iudices synodales, delegati Apostolici etc. (3).

Præcedunt coadjutores et canonicos honorarios, locum autem cedunt canonicis numerariis ejusdem ordinis juxta Scarfantonum (4);

(1) Ita Reiffenstuel lib. III, tit. VIII, de concessionem præbendæ n. 26-34; S. C. C. 1 Dec. 1731, § ult. *Eystel.* et 19 Januarii 1788, § 3, *Terrac. seu Set.* apud Zamboni tom. 4. *Canonicus*, § IV; Fagnanus in I, p. I, Decretal. de *Constit. c. Cum Ferrariensis* n. 58, item in I p. III Decretal. de præbendis cap. *Dilectus*, n. 1 et seqq. Pyrrhus Corradus *Praxis benef.* lib. 2, cap. III, n. 70 et seq. Pirhinc lib. III Decretal. tit. V, n. XXXI; De Angelis, lib. III, tit. VIII, n. 3.

(2) Vid. Reiffenstuel loco cit. n. 35 et 36; Fagnanus in I p. III Decretal. de præbendis cap. *Dilectus* n. 16-26; Lucius Ferr. *Canonicus*, art. XI, n. 21 et seqq.

(3) Fagnanus loco cit. n. 22; Barbosa de *Canonicis*, cap. XXI, n. 14; Scarfantonus lib. I, tit. XII, n. 13 et 14.

(4) Lib. I, tit. XII, n. 10, 11 et 15.

licet ex consuetudine decennali præcedant canonicos de numero postea receptos (1).

§ 2. *De canonicis honorariis.*

I. Apud veteres canonistas vix aliqua reperitur mentio de canonicis honorariis, acceptis eo sensu, quo nostra ætate intelliguntur, videlicet quatenus quodam honoris jure perfruuntur sine veris obligationibus. Aliqua tamen non desunt vestigia, uti videri potest apud Fagnanum et Scarfantonium (2). Per revolutionem autem Gallicanam in fine sæculi 18 spoliatis ecclesiis deletisque ac extinctis præbendis, Episcopi ut eo meliori quo poterant modo cultui divino consulere, canonicos honorarios in suis ecclesiis communiter creare cœperunt. De his notat auctor Actorum S. Sedis (3). « Quando nova institutio oritur, novæ leges sunt determinandæ, » quibus eadem institutio dirigatur. Ejusmodi leges circa canonicos honorarios adhuc haberi non videntur : de qua re cum jura » sileant, dicere ad nos non pertinet. »

II. Illorum canonicorum honorariorum legitima est institutio, ut constat ex actis sanctæ Sedis, quæ in erectione episcopatum quandoque permittit, ut canonicis titularibus aliqui honorarii addantur (4); ex declarationibus S. R. C. 11 Sept. 1847, *Valentin.* et S. C. C. 6 Jul. 1867, 1 (5); ex usu communi, qui viget in Gallia, Belgio etc.; ex necessitate, cum enim canonici per præbendarum suppressionem ad paucitatem redacti fuerint, atque ex iis tum alii senio confecti, tum alii infirmitate laborantes, tum alii legitime impediti, officio divino assistere non valerent; Episcopi per creationem canonicorum honorariorum providere debuerunt, ut officium divinum et præcipue functiones pontificales decenter ac digne celebrare possent. Hæc ratio necessitatis quidem tantum militat quoad canonicos honorarios, qui in civitate episcopali morantur, et constituuntur, ut in ecclesiis cathedralibus officiis divinis assistant,

(1) S. R. C. 27 Mart. 1628, *Nepesina.*

(2) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis cap. *Dilectus*, n. 9, et cap. *Dilecto* n. 23; Scarfantonus lib. I, tit. XIV, animadv.

(3) Vol. III, fol. 139.

(4) Bulla erectionis Episcopatus Vallis-Guidonis 30 Junii 1855, *Analecta juris pontif. sér. 6*, fol. 2050.

(5) Acta S. Sedis vol. 3, fol. 138; Pallottini *Canonicus*, § II, n. 20 et seqq.

iisque saltem in festis et solemnitatibus inserviant. At quæcumque hac de re formetur opinio, de facto invaluit mos recipiendi canonicos mere honorarios, qui ecclesiæ cathedrali, cujus creantur canonici, nullatenus inserviant, ut advertit Nardi (1): « Viget hodie in » universo orbe catholico usus, honorarios canonicos creandi » quosdam clericos doctrina et meritis insignes. Id Romæ, quæ » exemplar est cæteris ecclesiis, id in Germania, Italia aliisque » regionibus frequentatur. In Gallia item solent ii sacerdotes, quorum » eximia æstimantur erga religionem gesta, titulo canonicorum honorariorum condecorari, et cathedrali capitulo adscribi. » Porro quod ita universaliter hodie frequentatur, simul dicendum est legitimum (2). In declarationibus sacrarum Congregationum ea praxis non reprobat; nulla etiam contraria lex ecclesiastica afferri potest, nam jura quæ prohibent creari canonicum sine præbenda, commode intelligenda sunt de canonicis proprie dictis; item utile est ecclesiæ, posse viros ecclesiasticos, de religione bene meritos, hoc publico honoris testimonio per Episcopum et capitulum condecorari.

III. Numerus canonicorum honorariorum, si per Papam determinatus fuerit, sine ejus auctoritate augeri nequit. Si autem per Episcopum aut capitulum statutus fuerit, eadem auctoritate hoc statutum abrogari et numerus augeri potest (3). Licet autem numerus definitus non fuerit, ultra certos tamen limites protrahendus non est. In illorum receptione habendus est respectus, tam ad numerum titularium, quam honorariorum jam receptorum, ne adeo excrescat, ut vilescat, et nimia canonicorum multitudo in ecclesiæ dedecus tendat, uti auctores advertunt (4). Unde Sancta Sedes in cathedralibus noviter erectis, nec non in statutis recenter approbatis, præscripsit, ne plures quam viginti crearentur; imo cathedrali nuperrime erectæ decem dumtaxat concessit (5); et in erectione episcopatus Vallis Guidonis 30 Junii 1855 permittit, ut aliquorum canonicorum honorariorum numerus addatur, qui tamen titularium canonicorum numerum minime excedant.

(1) *Dei Parochi*, tom. 11, fol. 307.

(2) Apud Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. XVI, § III.

(3) Vid. cap. III, § 1.

(4) J. Andreas in cap. *Dilectus* lib. 1, n. 12, de præbend. Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis cap. *Dilectus*, n. 9; Scarfantonus lib. I, tit. XIV, animadv. 22.

(5) Craisson, *Manuale juris Canonici* n. 2243.

Porro ad auferendos abusus, Leo XIII. per Breve 29 Januarii 1894 has novas edidit instructiones quoad canonicos honorarios :

« I. Episcopus, seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum  
 » alienæ dioceseos Canonicum ad honorem nominaturus, præter  
 » Capituli sui consensum, Ordinarii, cui nominandus subjicitur,  
 » notitiam et votum obtineat, eundemque Ordinarium insignia  
 » edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur.  
 » II. Canonici ad honorem extra diocesim in qua nominati sunt,  
 » degentes, numero sint tertia parte minores cunctis Canonicis a  
 » Pontificiis Constitutionibus respectivæ Basilicæ, sive Ecclesiæ  
 » Metropolitanæ aut Cathedrali, vel Collegiatæ adsignatis (1).

IV. Cum canonicorum honorariorum creatio sit præter jus, caute et non nisi ex legitima causa ad eorum nominationem procedendum est.

Creari et institui possunt per Episcopum cum consensu capituli, et vice versa per capitulum cum consensu Episcopi (2). Si per capitulum creentur, requiritur consensus Episcopi, et salvum semper manet jus Episcopi pro approbatione eligendorum (3). Similiter si per Episcopum creentur, requiritur consensus capituli, ut liquet ex sequentibus declarationibus Sacræ Concilii Congregationis :

« An Episcopus auctoritate ordinaria possit in sua ecclesia creare  
 » canonicos supranumerarios absque capituli consensu et canoni-  
 » corum? S. C. respondit, *Episcopum non posse*, in *Fulginaten.*  
 » 26 feb. 1639 (4) : Item an Archiepiscopus privative a seipso cano-  
 » nicos ad honorem nominare, etiamque hunc honorem quibusdam  
 » officiis, veluti doctoribus seminarii, parochis civitatum etc. assi-  
 » gnare valeat, vel potius hoc agere de consensu vel consilio capi-  
 » tuli? S. Congregatio juxta rescriptiones alias in similibus editas  
 » respondendum censet : *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Die 6 jul. 1867 (5). » Regula igitur generalis est, requiri non tantum consilium, sed et consensum capituli. Sufficit tamen consensus implicitus, quem capitulum dare censetur, nominationem canonicorum honorariorum approbando, eos in

(1) Acta S. Sedis, vol. 26, fol. 449 sqq. *Nouv. Rev. th. t. 26, p. 129 sqq.*

(2) Acta S. Sedis vol. III, fol. 139, et vol. IV, fol. 579 ad III.

(3) S. C. C. 17 Dec. 1808, *Fulginaten.* Thesaur. resol. tom. 74, fol. 117 et 161.

(4) Apud Scarfantoni. lib. 1, tit. XIV, animadv. 13.

(5) In actis S. Sedis vol. III, fol. 138; Pallottini, *Canonicus* § II, n. 39 et seqq. De Angelis lib. III, tit. VIII, n. 3.

stallis admittendo, tabulisque inscribendo (1). Illa tamen regula, quæ capituli consensum requirit, limitanda est, si alia sit consuetudo, aut Sancta Sedes in particularibus casibus aliter disposuerit (2).

V. Canonici honorarii jura canonicalia non habent, sed simplicem nominis honorem : non veniunt appellatione canonicorum, quoties, præsertim in jure, de canonicis fit mentio, cum sub isto nomine non comprehendantur nisi habentes præbendas, non autem tales canonici, habentes simplex ac vacuum nomen sine effectu et sine executione canonicatus (3). Ideo dicuntur habere nomen sine re et nomenclaturam vacuum et inanem, jus adeo tenue et exile, ut de vento reputetur, et canonicatus in aere, ut scriptum legitur in causis *Fulginaten.* 13 Mart. 1684; *Terracinen.* 19 Januarii 1788; *Montis Politiani* 4 Feb. 1804 (4).

Ea tantum jura et honores obtinere possunt, qui in illorum canonicatum erectione concessa et concordata fuerunt (5), vel qui ex consuetudine iis dari solent (6).

VI. Communiter gaudent jure deferendi habitum cum insignibus canonicalibus, habentque stallum in choro, eique si illis placuerit, assistere et interesse valent.

Æquiparandi sunt canonicis titularibus quoad usum insignium, cum sacris funguntur ministeriis in choro cathedralis (7).

Non tenentur ad residentiam, et ad chori frequentationem; neque ad id compelli possunt, quum in præmium residentiae non habeant fructus seu distributiones (8). Unde sequitur, hujusmodi canonicos aliud beneficium residentiale simul obtinere et possidere posse (9).

Non tenentur ad assistentiam, neque ad hebdomadam, nisi talis sit consuetudo, vel hæc conditio in eorum receptione imposita fuerit, et soluta eleemosyna missæ conventualis (10).

(1) Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. XVI, § 4; Huguenin, *Expositio juris can.* tom. 1, fol. 379.

(2) S. C. C. 14 Januarii 1860 apud *Analecta juris Pontificii sér. 5, fol. 444.*

(3) Scarfantoni lib. 1, tit. XIV, animadv. 14; Bouix loco cit. § 6.

(4) Scarfantoni loco cit. n. 7 et 14; Acta S. Sedis vol. IV, fol. 317.

(5) S. C. C. 29 Feb. 1744, *Nicien.* § 4, apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § 4; Bouix loco cit. § 1; Acta S. Sedis, vol. IV, fol. 584; Pallottini *Canonicus* § II, n. 24 et seqq.

(6) Scarfantoni loco cit. n. 8.

(7) S. R. C. 25 Sept. 1875, *Bajonen.* dub. II; 16 Mart. 1876, *Patavina.*

(8) S. C. C. 5 Jul. 1722, *Veliter.* § 8, et 19 Jan. 1788, § 2, *Terrac. seu Set.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus* § IV; Scarfantoni loco cit. n. 8-10.

(9) Scarfantoni loco cit. n. 11.

(10) S. C. C. 1747, *Abellinen.* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § IV, n. 4.

Jus non habent ad distributiones aliaque emolumenta, nisi in eorum receptione aliter cautum fuerit (1).

VII. Canonici honorarii vocem in capitulo non habent (2). Attamen sicut beneficiarii, licet non sint de capitulo, nihilominus vocandi et audiendi sunt, quando de communi ipsorum et capituli interesse agitur, ita vocandi et audiendi sunt canonici honorarii, dum de eorum agendum est juribus.

VIII. Locum habent in choro aliisque capitularibus congressibus post canonicos titulares (3). Dum paramenta sacra assumenda sunt, tunc si capitulares distincti sint per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, canonici honorarii induere debent tunicellam, secus eandem vestem communem canonicis titularibus, cujuscumque ordinis sint (4).

### § 3. De canonicis jubilatis.

I. Indultum jubilationis in jure communi non reperitur, sed ex benignitate ecclesiae introductum est ad formam legis levitarum, qui Num. VIII, 23, *A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo foederis. Cumque quinquagesimum annum aetatis impleverint, servire cessabunt*: atque ad instar ejus, quod in saeculari militia fieri consuevit, ut ait S. Ambrosius in libro de viduis: *Miles confectis stipendiis arma deponit, et relicto officio, quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, ut et ipse exercitae laboribus vitae quietem consequatur, et alios spes futurae quietis subeundis faciat operibus promptiores*. Indultum igitur jubilationis rationem habet praemii et remunerationis retribuendae illi beneficiario, qui jugiter et laudabiliter servitium suum praestitit; et quoad alios ejusmodi immunitatis spes aptum est remedium, alacriores reddendi ecclesiae ministros, ad diligentius servitium exhibendum.

(1) Scarfantonus lib. 1, tit. XII, n. 15, tit. XIV, animadv. 17-21; item decisione 61, n. 4 et seq. Bouix loco cit. § VI.

(2) S. C. C. 4 Jun. 1836, in thesauro resol. tom. 96, fol. 265; 17 Dec. 1836, *Vintimilien*, in Actis S. Sedis, vol. IV, fol. 579-584, Pallottini *Canonicus*, § II, n. 43; Scarfantonus lib. 1, tit. XII, n. 15.

(3) S. C. C. 17 Dec. 1836 loco cit.; 6 Jul. 1867 ad II, in Actis S. Sedis vol. 3, fol. 138; S. R. C. 11 Sept. 1847, *Valentin*.

(4) S. C. C. 6 Jul. 1867 ad III loco cit.

II. Hoc privilegium in eo consistit, quod canonicus et beneficiatus post praestitum laudabile et continuum servitium quadraginta annorum, eximantur ab obligatione et frequentatione chori, et nihilominus consequantur fructus et distributiones quotidianas. Tunc dicitur ecclesiae per gloriam adhuc inservire, qui post diuturnum servitium, senio confectus, ex licentia Summi Pontificis quiescit adinstar militis veterani.

III. Jubilationis indultum a Sede Apostolica seu Sacra Congregatione Concilii concedendum est. Nec enim Episcopus, nec capitulum aliquem a choro in perpetuum eximere aut dispensare potest. Nec etiam valent statuta, quae indultum jubilationis concedunt, nisi a Sede Apostolica specificè confirmata sint, vel saltem gaudeant observantia immemorabili (1). Sancta Sedes hoc indultum etiam concedit, licet statuta capitularia quoad hoc nihil praescribant, quinimo etiamsi statuta hoc genus exemptionum prohibeant, et beneficiati ex praescripto suorum statutorum, sese hoc servaturos jurejurando promiserint (2).

Indultum jubilationis a Sacra Congregatione Concilii obtentum, in capitulo exhiberi, eique ostendi debet (3).

IV. Ad jubilationis indultum consequendum requiritur servitium chorale quadraginta annorum, assidue diligenterque praestitum. Hoc Sacrae Congregationi, antequam indultum concedat, constare debet ex Ordinarii et capituli testimonio per examen instituendum circa punctaturas, fallentias et distributiones. Si ex illis colligatur, servitium fuisse diligens et continuum, locus indulto facillime datur; si vero res aliter se habeat, puncta negligentiae per quadraginta annos colligenda sunt, ut ex totali punctorum numero cognoscatur, quale fuerit servitium. Si punctorum liber non extet, adhibentur testimonia canonicorum aetate provectorum aliorumque hominum fide dignorum. Si orator negligens fuerit, indultum, elapso quadragenario tempore a die captae possessionis, non conceditur; locus vero relinquitur compensationi fallentiarum, quae antea commissae sunt; et tempus deficiens suppleri debet, priusquam privilegium obtineatur (4).

Absentiae causae undequaque etiam legitimae, per se non suffra-

(1) Scarfantonus lib. 2, tit. VI, animadv. 9-12; Lucius Ferraris *Canonicus*, art. IX, n. 103.

(2) S. C. C. 11 Feb. 1772 *Gerunden*, in Actis S. Sedis vol. 6, fol. 429.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. VI, animadv. 19.

(4) Acta S. Sedis vol. VI, fol. 424.